



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens Psalmos à 101. ad 125.

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, 1764**

**VD18 15558428-001**

Psalmus CVII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53433)

quos Deus sublevavit de inopiâ, & pavit ad  
 rexit ut proprias oves. Ex quo factum est per  
 Divinam providentiam, ut tandem viri justâ  
 lætarentur, & iniqui confusi remanerent.

¶. 43. *Quis sapiens, & custodiet hac, & intel-  
 liget misericordias Domini?*

Concludit ex dictis; illum verè sapien-  
 tem esse, qui observabit, & custodiet in cor-  
 de suo suprâ dictas vicissitudines rerum; &  
 intelliget, quemadmodum in omnibus ap-  
 pareat ineffabilis misericordia Dei erga pios  
 homines, & timentes Deum. Dicit autem:  
*quis sapiens?* quoniam paucorum est ista sa-  
 pientia, & stultorum infinitus est numerus.

PSALMUS CVII.

**P**aratum cor meum Deus.

*Hic Psalmus non eget explanatione: con-  
 stat enim ex parte extremâ Psalmi 56. à v. 10.  
 & 59. à v. 5. Cur autem hic Psalmus additus  
 sit ad alios, eum nihil novi contineat, ratio vi-  
 detur fuisse, ut compleretur numerus 150. Psal-  
 morum; nisi fortè subsit aliqua alia ratio ma-  
 gis recondita, nec nota cuilibet.*

¶. 1. *Paratum cor meum Deus, paratum  
 cor meum: cantabo, & psallam in gloria mea.*

¶. 2. *Exurge gloria mea, exurge psalterium  
 & cithara; exurgam diluculo.*

¶. 3.

ψ. 3. Confitebor tibi in populis Domine : & psallam tibi in nationibus.

ψ. 4. Quia magna est super calos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.

ψ. 5. Exaltare super Calos Deus, & super omnem terram gloria tua, ut liberentur dilecti.

ψ. 6. Salvum fac dextera tua, & exaudi me : Deus locutus est in Sancto suo.

ψ. 7. Exultabo, & dividam sichimam, & convallem tabernaculorum dimetiar.

ψ. 8. Meus est Galaad, & meus est Manasses : & Ephraim fortitudo capitis mei.

ψ. 9. Juda Rex meus : Moab lebes spei mee.

ψ. 10. In Iduneam extendam calceamentum meum, mihi alienigenae amici facti sunt.

ψ. 11. Quis deducet me in civitatem munitam ? quis deducet me usque in Iduneam ?

ψ. 12. Nonne tu Deus, qui repulisti nos ? & non exhibis Deus in virtutibus nostris.

ψ. 13. Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana salus hominis.

ψ. 14. In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

PSALMUS CVIII.

**T**itulus : In finem Psalmus David.

Argumentum est prophetia per modum impre-